

5
S ANCTISS. D. N. QVINTI

514811777

diuina prouidentia. P P. V.

Frdulsum deferendi habitum non clericalem pro aliquibus S. D. N. familiaribus, & ijs qui pensiones non ultra LX. ducat. percipiunt.

Et prorogatio xv. Dierum pro personis
in Vrbe de gentibus.



R

ASTORALIS Est curæ nostræ, & ita æquum arbitramur, ut quæso possumus studio te demeriti & utilitati tum pauperum Clericorum, tum etiam personarum, quæ nostris obsequijs insistendo labores, & incommoda assidue subire non cessant, consulere procuremus, ac earum necessitati prospiciamus, ne dum prompte & expedite ministeria eis iniuncta obire conantur, non solum congrua præmia non recipiant, verum aliquid detrimenti patiantur. Cui itaq; nostra nuper edita constitutione de Habitu, & Tonsura per Clericos, seu Milites beneficis, vel pensiones obtinentes deferendis, quæ incipit Cum Sacrosanctam, &c. præceperimus vniuersis Clericis, nedum beneficia Ecclesiastica obtinentibus, sed etiam pensiones super fructibus Ecclesiasticis, aut fructus ipsos sibi reseruatos percipientibus, ut Habitum, & Tonsuram Clericalem, vestes scilicet talares, Militibus vero ipsas pensiones, aut beneficia suæ militiæ propria obtinentibus, ut habitum suæ militiæ convenienter iugiter deferant, pœna priuationis beneficiorum, pensionum, ac fructuum huiusmodi cuiuslibet inobediens imposita prout in eadem constitutione latius continetur. Non nulli vero ex clericis præfatis pensiones, aut fructus huiusmodi admodum tenues percipientes, alij quoque nostri familiares actu nouis inseruientes, varijs obsequijs & ministerijs addicti, qui vltro citroque vbi opus est commeare & accurrere coguntur. Id circo vix possint sine maximo incommodo, impedimento & dispendio habitum clericalem superscriptum gestare. Nos eorum commodis opportune prouidere, eosque specialis gratiæ fauore prosequi volentes, omnibus & quibuscunq; Clericis, tam in Romana Curia, quam extra eam vbiilibet gentium & locorum constitutis, qui pensiones fructus, aut prædia vel bona Ecclesiastica, sibi in vna vel pluribus vicibus reseruata & concessa summam, seu valore annuum Sexaginta ducatorum auri de Camera insimul non excedentes, seu excedentia præcipiunt, aut percipiunt in futurum: ac præterea nostris familiaribus, nobis in quibusdã inferioribus ministerijs, quales sunt qui a pedibus seu parasrenarij, mense dispositores, aut credentarij, aut dispensatores vulgo

vulgo dicuntur, & alijs his similibus seruitijs actu ministrantibus, quiue in futurum inseruient; nec non qui
 busuis nosrorum intimorum familiarium actu nobis in Palatio nostro Apostolico inseruientium familiari-
 ribus continuis commensalibus, presentibus & futuris, qui pensiones, aut fructus bonae Ecclesiasticae lo-
 co pensionum, vsque ad quamcunque summam & valorem nunc percipiunt, aut imposterum pro tempore
 percipient, vt ipsi & eorum quilibet in habitu & tonsura clericali incedere minime teneantur, sed laicali ha-
 bitu impune & licite vti possint, quo sua munia promptius expeditusque obire valeant, nec potius in ea-
 dem constitutione inflicta subiaceant auctoritate Apostolica, tenore presentium despeciali gratia concedi-
 mus & indulgemus, Reliquis autem nostris, aut personarum nobis inseruientium familiaribus continuis co-
 mensalibus, omnibusque & singulis alijs tam clericis, quam militibus beneficia fructuum, vel bonorum
 Ecclesiasticorum reservationes, ac pensiones obtinendibus, aut in ipsis beneficijs, vel ad ea ius habentibus in
 Vrbe presentibus tempus xv. dierum in dicta constitutione praefixum, nec dū elapsum ad alios xv. dies a fi-
 ne primo dicti termini computandos extendimus & prorogamus. Ac demum militibus, tam militiarum ca-
 nonice institutarum, quam Rom. Cur. officialibus, qui iuxta praefatam nostram cōstitutionem in militari ha-
 bitu incedere tenentur, vt vestibus communibus, cum insignibus, tamen Crucis, aut numismatis suae iurisdic-
 tiae proprijs vti valeant, atque hac ratione ipsius constitutionis praeepto plene satisfacere censeatur par-
 ter indulgemus. Hos vero Clericos, aut Milites, quibus pensiones, aut fructus bonae, aut praedia Ecclesias-
 tica ad quamcunque summam reseruata, aut reseruari concessa sunt, vel post hac reseruabuntur non licet
 ad gerendum huiusmodi habitum teneri volumus, nisi post quam pensiones, fructus, aut alia praefata cum
 effectu exigere, aut percipere ceperint vel per eos steterit quominus exigant, vel percipiant. Decernentes sic
 in praemissis iudicari debere, nec non irritum & inane quaequid secus super his a quoquam quavis aucto-
 ritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Praefata constitutione nostra quoad reliqua omnia praesentibus
 litteris non excepta, nihilominus in suo robore perpetuo permanens. Volumus autem presentibus
 transumptis, etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica
 constitutae munitis, eandem fidem ubique tam in dicta Curia & in iudicio, quam extra adhiberi, quae eisdem
 praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam
 nostrae concessionis, indulgentiarum, extensionis, praerogationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu
 temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac bea-
 torum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Dat. Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae, Milleesimo quingentesimo octuagesimo
 octauo, Prid. Kal. Februarij, Pontificatus nostri Anno quarto.

E. Card. Prodat.

I. Angelus Papius.

A. de Alexija.

Registrata apud Jo. Angelum Secretarium.